

cum raro inveniatur matrimonium in quo conjugum alter in peccatum non labatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod fornicatio corporalis, & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii, ut ex dictis patere potest: unde specialiter habent vim separandi matrimonia. Sed tamen intelligendum, quod matrimonium dupliciter solvitur. Uno modo quantum ad vinculum; & sic non potest solvi postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium; sed si non est ratificatum, solvitur vinculum permanente infidelitate in altero conjugum, si alter conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat; non autem solvitur vinculum prædictum per adulterium; alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulteræ, & ea dimissa alteram ducere; quod falsum est. Alio modo solvit matrimonium quantum ad actum; & sic solvi potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem corporalem, ut supra dist. xxxv. dictum est; sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium etiam quantum ad actum, nisi forte ad tempus vir se velit subtrahere a consortio uxoris ad castigationem ejus subtrahendo ei præsentiam suam solatium.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio, inquantum est in officium naturæ, quam infidelitas; tamen è converso est, secundum quod matrimonium est sacramentum Ecclesiæ, ex quo habet perfectam firmitatem, inquantum significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ: & ideo matrimonium quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum per infidelitatem quam per adulterium.

Ad secundum dicendum, quod prima conjunctio animæ ad Deum est per fidem; & ideo per eam anima quasi desponsatur Deo, ut patet Osee 11. 20. *Sponsabo te mihi in fide*: unde in Sacra Scriptura specialiter per fornicationem idolatria, & infidelitas de-

signantur; sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est quando mulier præstat magnam occasionem ruinæ viro suo, ut vir probabiliter sibi de periculo timeat: tunc enim vir potest se subtrahere ab ejus conversatione, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod avaritia dicitur idolatria per quamdam similitudinem servitutis, quia tam avarus quam idolatria potius servit creaturæ quam Creatori; non autem per similitudinem infidelitatis, quia corruptio infidelitatis est in intellectu, sed avaritiæ in affectu.

Ad quintum dicendum, quod verba Magistri sunt accipienda de sponsalibus: quia propter crimen superveniens sponsalia solvi possunt. Vel si loquamur de matrimonio, intelligendum est de separatione à communi conversatione ad tempus, ut dictum est; vel quando uxor non vult cohabitare nisi sub conditione peccandi, ut cum dicit: Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges &c. tunc enim potius debet eam dimittere quam latrocinia exercere.

EXPOSITIO TEXTUS.

Et alienigenam, idest hæreticam. Crimen hæresis impedit matrimonium semper contrahendum; sed non dirimit contractum, nisi sit talis hæretica quæ baptismi sacramentum non acceperit, aut non in forma Ecclesiæ fuerit baptizata.

Si ambo crediderunt, per agnitionem Dei confirmatur conjugium. Sed contra. Si mulier ante conversionem fuerit fornicata, tenebitur eam vir recipere, etiam si converti voluerit, ut videtur. Et dicendum, quod si mulier conversa reperat virum suum conversum, vir non potest excipere contra eam de fornicatione prius commissâ, si ipse occasionem fornicationi dedit; puta, si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia Creatoris; alias potest excipere: & tamen ratificatur matrimonium, ita quod ulterius non possit solvi quantum ad vinculum, ut viro liceat aliam uxorem ducere, quamvis possit solvi quantum ad actum.

DISTINCTIO XL.

De cognatione carnali, & spirituali, & prius de carnali.

Nunc superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritualis. Primum de carnali cognatione, & affinitate inspicimus. Cognati ergo, vel affines in septimo gradu, vel infra copulari non debent. Unde Gregorius (a): „Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare“ de cernimus generationem; & quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus: quod si fecerint, separentur. Item Nicolaus Papa: (b) „De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest.“ Item: (c) „Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant.“ His auctoritatibus, aliisque pluribus consanguineorum conjunctiones prohibentur usque ad septimum gradum.

De computatione graduum consanguinitatis.

Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic: (d) „Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur hoc modo. Filius, & filia, quod est frater, & soror, sit ipse truncus. Illis seorsum se junctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramunculi, nepos, & neptis primus; pro-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Non ad Episcopos Gallie, sicut refertur in Decretis causa xxxv. quæst. 3. *Progeniem*, sed ad Felicem Episcopum Messanæ Lib. XII. epist. xxxi. (b) Quod subjungitur, ex Nicolao II. ad Ecclesiæ Amalphitanæ suffraganeos prænotatur ibidem in Decretis. (c) In Concilio Lugdunensi, ut appendice ibidem notat. (d) Ut cap. *Series* causa xxxv. quæst. v. refertur; sed implicite tantum ex Lib. IX. Etymologia- rum, vel originum colligi posse, indicatur ibidem.

„nepos, & pronepotis secundus; abnepos, & abneptis tertius; acnepos, & adneptis quartus; trinepos, & trineptis quintus; trinepotis nepos, & trinepotis neptis sextus.“ Attende quod sex gradus tantum ponit Isidorus, quia truncum inter gradus non computat. Alii vero qui septem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Varie namque computantur gradus consanguinitatis. Alii enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium esse, cum una caro sint pater, & filius. Auctoritates ergo quæ consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illæ vero quæ usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant, atque ita fit ut eadem personæ secundum hanc diversitatem inveniantur in sexto, & septimo gradu. Patrem vero in primo gradu ponit qui fratres dicit esse secundum. Hoc modo computat Zacharias Papa causa xxxv. quæst. 5. cap. „Parentela.“ „Parentelæ gradus taliter computamus. Ego, & frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficitur. Rursus filius meus, & fratris mei filius, secunda generatio sunt, & secundum gradum faciunt: ad hunc modum cæteræ successiones (1) numerandæ sunt.“ Inter illos vero qui sex computant gradus, & illos qui septem computant gradus, nulla in sensu existit diversitas, quamvis in numero graduum varietas videatur. Ultima (2) enim generatio, si à fratribus sumat initium numerandi, septima invenitur (3).

Quare sex (4) gradus computantur.

Quare vero sex computet Isidorus, ipse aperit dicens, Lib. IX. Etymol. cap. vi. & habetur causa xxxv. quæst. 1v. cap. „Consanguinitas.“ „Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum protraxerit, & propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonii vinculum eam recipit, & quodammodo incipit revocare fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitatis constituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur. In his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec successio potest amplius propagari. Secundum alios septem gradus ideo computantur, ita ut post septem gradus sponsus sponsæ jungatur, sicut post hanc vitam, quæ septem diebus agitur, Ecclesia Christo jungetur.“ His autem occurrit illud quod Gregorius Augustino Anglorum Episcopo, à quo requisitus fuerat, quot à generatione debeant copulari, rescribit sic. (e) „Quædam lex Romana permittit ut sive fratris, vel sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est ut quarta, vel quinta generatio fidelium licenter sibi conjugatur.“ Sed post multum temporis idem Gregorius à Felice Messanæ Siciliæ Præsule requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatio contracta matrimonia non solverentur, inter cætera talem reddidit rationem. (f) „Quod scripsi Augustino Anglorum Episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod coeperat, metiendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter (5) cæteris me cognoscas scripsisse. Nec ideo hæc eis scripsi, ut postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, idest usque ad septimam generationem, jungantur.“

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de impedimento matrimonii, quo persona redditur illegitima simpliciter respectu alicujus personæ propter distantiam ad ipsam, hic incipit determinare de impedimentis quibus persona redditur simpliciter illegitima respectu alterius propter propinquitatem ad eam: & dividitur in partes duas. In prima determinat de impedimento propinquitatis carnalis; in secunda de impedimento propinquitatis spiritualis, xl. dist. ibi: *Item de spirituali cognatione addamus.* Prima in duas. In prima determinat de consanguinitate, in secunda de affinitate, xl. dist. ibi: *Nunc de affinitate videndum est.* Prima in duas. In prima ostendit secundum quos gradus consanguinitas matrimonium impedit. In secunda objicit in contrarium, & solvit, ibi: *His autem occurrit illud quod Gregorius Augustino Anglorum Episcopo... rescribit.* Prima in duas. In prima ostendit usque ad quos gradus consanguinitas matrimonium impedit. In secunda ostendit rationem hujus distinctionis, ibi: *Quare vero sex gradus computet Isidorus, ipse aperit.* Prima in duas. In prima ostendit usque ad quot gradus consanguinitas matrimonium

impediat. In secunda ostendit quomodo sunt gradus prædicti computandi, ibi: *Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus ostendit sic.*

QUÆSTIO I.

HIC querantur quatuor.

Primo. Quid sit consanguinitas.

Secundo. De distinctione ipsius.

Tertio. Utrum secundum aliquos gradus impediat matrimonium de jure naturali.

Quarto. Utrum gradus matrimonium impediens possint per statutum Ecclesiæ determinari.

ARTICULUS I.

Utrum diffinitio consanguinitatis quam quidam ponunt, sit competens.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod diffinitio consanguinitatis quam quidam ponunt, sit incompetens, scilicet: *Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descenditum carnali propagatione contractum.* Omnes enim homines ab eodem stipite carnali propagatione descendunt, scilicet ab Adam.

(1) Al. deest numerandæ sunt. (2) Al. vero. (3) Addit Nicolai, ut dicit Alexander II. ubi supra cap. *Ad sedem* versus finem. (4) Al. gradibus. (5) Al. deest cæteris.

Ex Edit. P. Nicol. (e) Lib. XII. indict. vi. i. epist. xxxi. & refertur in Decretis causa xxxv. quæst. 111. cap. *Quædam*, ubi plenius, ut & in Gregorii textu, dicitur: *Quædam lex terrena in Romana Republica permittit.* (f) Ibidem Epist. xxxi.

Adam. Si ergo recta esset prædicta diffinitio consanguinitatis, omnes homines essent consanguinei ad invicem; quod falsum est.

2. Præterea. Vinculum non potest esse nisi aliquorum ad invicem convenientium, quia vinculum unit. Sed eorum qui descendunt ab uno stipite, non est major convenientia ad invicem quam aliorum hominum, cum conveniant specie, & differant numero, sicut & alii homines. Ergo consanguinitas non est aliud quod vinculum.

3. Præterea. Carnalis propagatio secundum Philosophum, Lib. I. de generat. animal. cap. xviii. fit de superfluo alimentis. Sed tale superfluum magis habet convenientiam cum rebus comestis, cum quibus in substantia convenit, quam cum illo qui comedit. Cum ergo non nascatur aliquod vinculum consanguinitatis ejus qui nascitur ex semine ad res comestas, nec ad generantem ex carnali propagatione nascetur aliquod propinquitatis vinculum.

4. Præterea. Genes. xxix. 14. Laban dixit ad Jacob: *Os meum, & caro mea es*, ratione cognationis quæ erat inter eos. Ergo talis propinquitatis magis debet dici carnalitas quam consanguinitas.

5. Præterea. Carnalis propagatio communis est hominibus, & animalibus. Sed in animalibus in carnali propagatione non contrahitur consanguinitatis vinculum. Ergo nec in hominibus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in VIII. Ethic. cap. ix. vel xi. omnis amicitia in aliqua communicatione consistit: & quia amicitia ligatio, sive unio quædam est, ideo communicatio quæ est amicitie causa, vinculum dicitur: & ideo secundum quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem, sicut dicuntur concives qui habent politicam communicationem ad invicem, & commilitones qui conveniunt in militari negotio, & eodem modo illi qui conveniunt naturali communicatione, dicuntur consanguinei: & ideo in prædicta diffinitione ponitur quasi consanguinitatis genus *vinculum*; quasi subiectum, personæ descendentes ab uno stipite, quorum est huiusmodi vinculum; quasi principium *carnalis propagatio*.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus activa non recipitur secundum eandem perfectionem in instrumento secundum quam est in principali agente: & quia omne movens motum est instrumentum, inde est quod virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta tandem deficit, & pervenitur ad aliquid quod est motum tantum, & non movens. Virtus autem generantis movet non solum quantum ad id quod est speciei, sed etiam quantum ad id quod est individui, ratione cuius filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, non solum in natura speciei: nec tamen individualis virtus patris ita perfecte in filio est, sicut in patre erat, & adhuc in nepote minus, & si deinceps debilitatur: & inde est quod virtus illa quandoque deficit, ut ultra procedere non possit. Et quia consanguinitas est inquantum multi communicant in tali virtute ex uno in multos per propagationem deducta, paulatim se consanguinitas dirimit, ut Isidorus dicit, Lib. IX. Etymol. & ideo non oportet accipere stipitem remotum in diffinitione consanguinitatis, sed propinquum cuius virtus adhuc manet in illis qui ex eo propagantur.

Ad secundum dicendum, quod jam pater ex dictis quod non solum conveniunt consanguinei in natu-

ra speciei, sed etiam in virtute propria ipsius individui ex uno in multos traducta, ex qua contingit quandoque quod filius non solum assimilatur patri, sed avo, vel remotis parentibus, ut dicitur in XVIII. de animalibus, vel Lib. IV. de generat. animalium, cap. iiii.

Ad tertium dicendum, quod convenientia magis attenditur secundum formam, secundum quam aliquis est actus, quam secundum materiam, secundum quam est in potentia: quod patet in hoc quod carbo magis convenit cum igne quam cum arbore unde abscissum est lignum; & similiter alimentum quod jam conversum est in speciem nutriti per virtutem nutritivam, magis convenit cum ipso nutrito quam cum illa re unde sumptum est nutrimentum. Ratio autem procederet secundum opinionem illorum qui dicebant, quod tota natura rei est materia, & quod formæ omnes sunt accidentia: quod falsum est.

Ad quartum dicendum, quod illud quod proxime convertitur in semen, est sanguis, ut probatur in XV. de animal. vel Lib. I. de generat. animal. cap. xix. & propter hoc vinculum quod ex propagatione carnali contrahitur, convenientius dicitur consanguinitas quam carnalitas: & quod aliquando unus consanguineus dicitur esse caro alterius, hoc est inquantum sanguis qui in semen viri, aut menstruum convertitur, est potentia, caro, & os.

Ad quintum dicendum, quod quidam dicunt, quod ideo consanguinitatis vinculum contrahitur inter homines ex carnali propagatione, & non inter alia animalia, quia quicquid est de humanæ nature veritate in omnibus hominibus, fuit in primo parente, quod non est de aliis animalibus. Sed secundum hoc consanguinitas nunquam dirimi posset. Prædicta autem posito in II. Lib. dist. xxx. quæst. i. art. 2. in corp. improbata est: unde dicendum, quod hoc ideo convenit, quia animalia non conjunguntur ad amicitiam unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo, sicut est de hominibus, ut dictum est in corp. art.

ARTICULUS II.

Utrum consanguinitas convenienter distinguatur per lineas, & per gradus.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod consanguinitas inconvenienter distinguatur per lineas, & per gradus. Dicitur enim linea consanguinitatis esse *ordinata collectio personarum consanguinitate junctarum ab eodem stipite descendendum, diversos continens gradus*. Sed nihil est aliud consanguinitas, quam collectio talium personarum. Ergo linea consanguinitatis est idem quod consanguinitas. Nihil autem debet distinguere per seipsum. Ergo consanguinitas non convenienter per lineas distinguitur.

2. Præterea. Illud secundum quod dividitur aliquid commune, non potest poni in diffinitione communis. Sed descensus ponitur in diffinitione prædictæ consanguinitatis. Ergo non potest dividi consanguinitas per lineam ascendendum, & descendendum, & transversalium.

3. Præterea. Diffinitio lineæ est quod sit inter duo puncta. Sed duo puncta non faciunt nisi unum gradum. Ergo una linea habet tantum unum gradum; & ita eadem videtur divisio consanguinitatis per lineas, & per gradus.

4. Præterea. Gradus diffinitur esse *habitus distantie*.

tantum personarum, quæ cognoscitur quanta distantia personæ inter se differant. Sed cum consanguinitas sit propinquitatis quædam, distantia personarum consanguinitati opponitur magis quam sit ejus pars. Ergo per gradus consanguinitas distingui non potest.

5. Præterea. Si consanguinitas per gradus distinguitur, & cognoscitur, oportet quod illi qui sunt in eodem gradu, sint æqualiter consanguinei. Sed hoc falsum est: quia propatruus, & ejusdem pronepos sunt in eodem gradu, non tamen sunt æqualiter consanguinei, ut Decretum dicit causa xxxv. quæst. v. cap. Porro. Ergo consanguinitas non recte distinguitur per gradus.

6. Præterea. In rebus ordinatis quodlibet additum alteri facit alium gradum, sicut qualibet unitas addita facit aliam speciem numeri. Sed persona addita personæ non semper facit alium gradum consanguinitatis: quia in eodem gradu consanguinitatis est pater, & patruus, qui adjungitur. Ergo non recte per gradus consanguinitatis distinguitur.

7. Præterea. Inter duos propinquos semper est eadem consanguinitatis propinquitatis: quia æqualiter distat unum extremorum ab alio, & e converso. Sed gradus consanguinitatis non invenitur semper idem ex utraque parte, cum quandoque unus propinquus sit in tertio, & alius in quarto gradu. Ergo consanguinitatis propinquitatis non potest sufficienter per gradus cognosci.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod consanguinitas, ut dictum est, est quædam propinquitatis in naturali communicatione fundata secundum actum generationis, quæ natura propagatur: unde secundum Philosophum in VIII. Ethic. cap. ix. vel xi. ista communicatio est triplex. Una secundum habitudinem principii ad principium; & hæc est consanguinitas patris ad filium: unde dicit, quod parentes diligunt filios ut sui ipsorum aliquid existentes. Alia est secundum habitudinem principii ad principium; & hæc est filii ad patrem: unde dicit, quod filii diligunt parentes, ut ab illis existentes. Tertia est secundum habitudinem eorum quæ sunt ab uno principio ad invicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, ut ipse ibidem dicit. Et quia punctus motus lineam facit, & per propagationem quodammodo pater descendit in filium, ideo secundum dictas tres habitudines tres lineæ consanguinitatis sumuntur, scilicet linea descendendum secundum primam habitudinem, linea ascendendum secundum secundam, linea transversalium secundum tertiam. Sed quia propagationis motus non quiescit in uno termino, sed ultra progreditur, ideo contingit quod patris est accipere patrem, & filii filium, & sic deinceps: & secundum hos diversos progressus diversi gradus in una linea inveniuntur. Et quia gradus cujuslibet rei est pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse ubi non est propinquitas: & ideo identitas, & nimia distantia graduum consanguinitatis tollunt: quia nullus est sibi ipsi propinquus, sicut nec sibi similis. Et propter hoc nulla persona per seipsam facit aliquem gradum, sed comparata alteri personæ gradum facit ad ipsam. Sed tamen diversa est ratio computandi gradus in diversis lineis. Gradus enim consanguinitatis in linea ascendendum, & descendendum contrahitur ex hoc quod una persona ex alia propagatur eorum inter quos gradus consideratur: & ideo secundum computationem canonicam, & legalem persona quæ primo in processu propaga-

tionis occurrat vel ascendendo, vel descendendo, distat ab aliquo, puta à Petro, in primo gradu, ut pater, & filius; quæ autem utrinque secundo occurrat, distat in secundo gradu, ut avus, & nepos, & sic deinceps. Sed consanguinitas eorum qui sunt in linea transversali, contrahitur non ex hoc quod unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno: & ideo debet gradus in hac linea consanguinitatis computari per comparisonem ad unum principium ex quo propagantur. Sed secundum hoc est diversa computatio canonica, & legalis: quia legalis computatio attendit descensum à communi radice ex utraque parte; sed canonica tantum ex altera, ex illa scilicet ex qua major numerus graduum invenitur: unde secundum legalem computationem frater & soror, vel duo fratres atinent sibi in secundo gradu, quia uterque à radice communi distat per unum gradum: & similiter filii duorum fratrum distant à se invicem in quarto gradu. Sed secundum computationem canonicam duo fratres atinent sibi in primo gradu, quia neuter eorum distat à radice communi nisi per unum gradum; sed filius unius fratrum distat ab altero fratre in secundo gradu, quia tantum distat à communi radice. Et ideo secundum canonicam computationem quoto gradu distat quis ab aliquo superiori, toto distat à quolibet descendente ab ipso, & nunquam minus: quia propter quod unumquodque, & illud magis: unde si alii descendentes à communi principio conveniunt cum aliquo ratione principii communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex alia parte, quam sit primum principium ei propinquum. Aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente à communi principio, quam distet ipse à principio, quia ille forte plus distat à principio communi quam ipse; & secundum remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit ex falsis. Consanguinitas enim non est collectio, sed relatio quædam aliquarum personarum ad invicem, quarum collectio lineam consanguinitatis facit.

Ad secundum dicendum, quod descensus communiter sumptus attenditur secundum quamlibet consanguinitatis lineam: quia carnalis propagatio, ex qua vinculum consanguinitatis contrahitur, descensus quidam est; sed descensus talis, scilicet à persona cuius consanguinitas quæritur, lineam descendendum facit.

Ad tertium dicendum, quod linea dupliciter accipi potest. Aliquando proprie pro ipsa dimensione quæ est prima species quantitatis continuæ; & sic linea recta continet tantum duo puncta in actu quæ terminant ipsam, sed infinita in potentia, quorum quolibet signato in actu linea dividitur, & sunt duæ lineæ. Aliquando vero linea sumitur pro his quæ linealiter disponuntur; & secundum hoc assignatur in numeris linea, & figura, prout unitas post unitatem ponitur in aliquo numero, & sic quælibet unitas adjecta gradum facit in tali linea: & similiter est de linea consanguinitatis: unde una linea continet plures gradus.

Ad quartum dicendum, quod sicut albedo dicitur non potest esse ubi non est aliqua diversitas, ita propinquitatis non est ubi non est aliqua distantia: & ideo distantia quælibet non opponitur consanguinitati, sed talis distantia quæ consanguinitatis propinquitatem excludit.

Ad quintum dicendum, quod sicut albedo dicitur major dupliciter. Uno modo ex intentione ipsius qua-